

GLÓRIA in excélsis Deo et in terra pax homínibus bonæ voluntátis. Laudámus te. Benedícimus te. Adorámus te. Glorificámus te. Grátias ágimus tibi propter magnam glóriam tuam. Dómine Deus, Rex cæléstis, Deus Pater omnípotens. Dómine Fili unigénite, Jesu Christe. Dómine Deus, Agnus Dei, Fílius Patris. Qui tollis peccáta mundi, miserére nobis. Qui tollis peccáta mundi, súscipe deprecatióem nostram. Qui sedes ad dexteram Patris, miserére nobis. Quóniam tu solus Sanctus. Tu solus Dóminus. Tu solus Altíssimus, Jesu Christe. † Cum Sancto Spíritu: in glória Dei Patris. Amen.

MUNDA cor meum ac labia mea, omnípotens Deus, qui lábia Isaíæ prophétæ cálculo mundásti igníto: ita me tua grata miseratióne dignáre mundáre, ut sanctum Evangélium tuum digne váleam nuntiáre. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

JUBE, Dómine, benedícere. Dóminus sit in corde meo et in lábiis meis: ut digne et competénter annúntiem Evangélium suum. Amen.

CREDO in unum Deum, Patrem omnipoténtem, factórem cæli et terræ, visibílium ómnium et invisibílium. Et in unum Dóminum Jesum Christum, Fílium Dei unigénitum. Et ex Patre natum ante ómnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Génitum, non factum, consubstantiálem Patri: per quem ómnia facta sunt. Qui propter nos hómines, et propter nostram salútem, descendit de cælis (*Hic genufléctitur*). **Et incarnátus est de Spíritu Sancto ex María Vírgine: ET HOMO FACTUS EST.** Crucifixus étiam pro nobis: sub Póntio Piláto passus et sepúltus est. Et resurrexit tértiadie, secúndum Scriptúras. Et ascendit in cælum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum ventúrus est cum glória judicáre vivos et mórtuos: cujus regni non erit finis. Et in Spíritum Sanctum Dóminum et vivificántem: qui ex Patre Fílioque procedit. Qui cum Patre et Fílio simul adorátur et conglorificátur: qui locútus est per prophétas. Et unam, sanctam, cathólicam et apostólicam Ecclésiám. Confiteor unum baptísma in remissióem peccatórum. Et exspécto resurrectiόem mortuórum, et vitam † ventúri sæculi. Amen.

SÚSCIBE, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus, hanc immaculátam hóstiam, quam ego indignus fámulus tuus offero tibi Deo meo vivo et vero, pro innumerábilibus peccátis, et offensiόibus, et neglegéntiis meis, et pro ómnibus circumstántibus, sed et pro ómnibus fidélibus cristiánis vivis atque defúntis: ut mihi, et illis proficiat ad salútem in vitam ætérnam. Amen.

OFFÉRIMUS tibi, Dómine, cálicem salutáris, tuam deprecántes cleméntiam: ut in conspéctu divínæ maiestátis tuæ, pro nostra et totius mundi salúte, cum odóre suavitatís ascéndat. Amen.

IN spíritu humilitátis et in ánimo contríto suscipiámur a te, Dómine: et sic fiat sacrificium nostrum in conspéctu tuo hódie, ut pláceat tibi, Dómine Deus.

VENI, sanctificátor omnípotens ætérne Deus: et béne†dic hoc sacrificium, tuo sancto nómini præparátum.

Accípiens in mánibus Hóstiam dicit:

QUI prídie quam paterétur, accépit panem in sanctas ac venerábiles manus suas, et elevátis óculis in cælum ad te Deum Patrem suum omnipoténtem, tibi grátias agens, bene†dixit, fregit, dedítque discípulis suis, dicens: Accípíte, et manducáte ex hoc omnes.

HOC EST ENIM CORPUS MEUM.

SÍMILI modo postquam cenátum est, accípiens et hunc præclárum Cálicem in sanctas ac venerábiles manus suas: item tibi grátias agens, bene†dixit, dedítque discípulis suis, dicens: Accípíte, et bíbite ex eo omnes.

**HIC EST ENIM CALIX SÁNGUINIS MEI,
NOVI ET ÆTÉRNA TESTAMÉNTI,
MYSTÉRUIM FÍDEI, QUI PRO
VOBIS ET PRO MULTIS EFFUNDÉTUR
IN REMISSIÓEM PECCÁTORUM.**

Hæc quotiescúmque fecéritis, in mei memóriam faciétis.

SÚSCIBE, sancta Trínitas, hanc oblatiόem, quam tibi offerimus ob memóriam passiόnis, resurrectiόnis et ascensiόnis Jesu Christi, Dómini nostri: et in honórem beátæ Mariæ semper Vírginis, et beáti Joánnis Baptístæ, et sanctórum Apostolórum Petri et Pauli, et istórum, et ómnium Sanctórum: ut illis proficiat ad honórem, nobis autem ad salútem: et illi pro nobis intercédere dignéntur in cælis, quorum memóriam ágimus in terris. Per eúndem Christum Dóminum nostrum. Amen.

Partículam Hóstiæ impónit in Cálicem, dicens secréto:
HÆC commíxtio, et consecratió Córporis et SÁnguinis Dómini nostri vitam ætérnam. Amen.

Ante sumptiόem Sacraménti, inclinátus dicit:

DÓMINE Jesu Christe, qui dixísti Apostolis tuis: Pacem relínquo vobis, pacem meam do vobis: ne respicias peccáta mea, sed fidem Ecclésiæ tuæ; eámque secúndum voluntátem tuam pacificáre et coadunáre dignéris: Qui vivis et regnas, Deus, per ómnia sæcula sæculórum. Amen.

DÓMINE Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntáte Patris, cooperánte Spíritu Sancto, per mortem tuam mundum vivificásti: líbera me per hoc sacrosánctum Corpus et SÁnguinem tuum ab ómnibus iniqui et univérsis malis: et fac me tuis semper inhærére mandátis, et a te numquam separári permíttas: Qui cum eódem Deo Patre et Spíritu Sancto vivis et regnas, Deus, in sæcula sæculórum. Amen.

PERCÉPTIO ego indignus súmerere præsumo, non mihi provéniat in judícium et condemnatiόem: sed pro tua pietáte prosit mihi ad tutaméntum mentis et córporis, et ad medélam percipiéndam: Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spíritus Sancti, Deus, per ómnia sæcula sæculórum. Amen.

Ante Benedictiόem, inclinátus dicit:

PLÁCEAT tibi, sancta Trínitas, obséquium servitútis meæ: et præsta; ut sacrificium, quod óculis tuæ maiestátis indignus óbtuli, tibi sit acceptábile, mihique et ómnibus, pro quibus illud óbtuli, sit, te miseránte, propitiábile. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

*Sacerdos signans signo crucis primum Altäre,
deinde se in fronte, ore et pectöre, dicit:*

† Inítium sancti Evangéllii secúndum Joánnem.

Junctis mánibus proséquitur:

IN PRINCÍPIO erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Ómnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nihil, quod factum est: in ipso vita erat, et vita erat lux hóminum: et lux in ténebris lucet, et ténebræ eam non comprehendérunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joánnes. Hic venit in testimónium perhiberet de lúmine, ut omnes créderent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimónium perhiberet de lúmine. Erat lux vera, quæ illúminat omnem hóminem veniéntem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognóvit. In própria venit, et sui eum non recepérunt. Quotquot autem recepérunt eum, dedit eis potestátem fílios Dei fiéri, his, qui credunt in nómine ejus: qui non ex sanguínibus, neque ex voluntáte carnis, neque ex voluntáte viri, sed ex Deo nati sunt.

(genufléctit dicens:)

ET VERBUM CARO FACTUM EST,

(et surgens proséquitur:)

et habitávit in nobis: et vídimus glóriam ejus, glóriam quasi Unigéniti a Patre, plenum grátiae et veritátis.

*Sacerdos infundit vinum, postea aquam
miscendam in Cálice benedicit, dicens:*

DEUS, † qui humanæ substantiæ dignitatem mirabiliter condidisti, et mirabilius reformasti: *(et infundens parum aquæ in cálicem proséquitur)* da nobis per hujus aquæ et vini mysterium, ejus divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostræ fieri dignatus est particeps, Jesus Christus, Filius tuus, Dominus noster: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus: per omnia sæcula sæculorum. Amen.

*Sacerdos lavat manus, id est extremitates
digitorum pollicis et indicis, dicens:*

LAVÁBO inter innocentes manus meas: et circumdabo altare tuum, Domine: Ut audiam vocem laudis, et enarrem universa mirabilia tua. Domine, dilexi decorem domus tuæ et locum habitationis gloriæ tuæ. Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam, et cum viris sanguinum vitam meam: In quorum manibus iniquitates sunt: dextera eorum repléta est munéribus. Ego autem in innocentia mea ingressus sum: redime me et miserere mei. Pes meus stetit in directo: in ecclesiis benedicam te, Domine. Glória Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

*Porrigit cálicem ministro, qui infundit in eo parum
vini, quo se purificat: deinde proséquitur:*

CORPUS tuum, Domine, quod sumpsi, et Sanguis, quem potavi, adhæreat viscéribus meis: et præsta; ut in me non remaneat scelerum mácula, quem pura et sancta refecerunt sacramenta: Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.